Maximis abstinentiis se macerant in tantum, ut saepe se fame perimant.

VI. Nestoriani.

Sunt in Jerusalem Christiani, Nestoriani, pessimis erroribus depravati, circa Dei genitricem et ejus filium multipliciter errantes. Credunt in Christo duas naturas et duas personas, et beatam Virginem Mariam dicunt matrem Christi hominis, sed non filii Dei. Chaldaea lingua utuntur in suis divinis et in fermento conficiunt.

VII. Armeniani.

Sunt in Jerusalem Christiani, dicti Armenii, involuti multis erroribus: inter hos et Graecos est maxima semper discordia propter rituum varietatem; linguam propriam et litteras singulares habent. Natalem Domini jejunant nec celebrant, sed Epiphaniam propter Christi baptismum summo honore venerantur, arctissime XL observant, in tantum, ut nec pisces nec oleo nec vino utantur, legumina tamen et fructus manducant, quotiens placet, omnibus horis, quia non putant istis frangi jejunium. Aquam non ponunt in confectione sacramenti. Feriis sextis carnes manducant. Infantes communicant. Nullam vigiliam nec quatuor tempora jejunant, nec quadragesima, in qua etiam dominica die arctissime abstinent. De purgatorio nihil tenent et de Christo sicut Jacobini errant.

VIII. Gregoriani. [Georgiani.]

Sunt in Jerusalem Gregoriani, dicti Christiani, de genitura viri bellicosi, in tantum, ut in toto oriente timeantur, et securi sine pedagiis transeunt, quo volunt. Eorum mulieres sicut viri armis utuntur. Inter eos et Armenios est implacabile bellum. Infecti sunt paene omnibus Graecorum erroribus. Prolixas ferunt barbas ut caeteri orientales.

IX. Maronitae.

Habitant in Jerusalem Christiani, dicti Maronitae, haeretici, in Christo tantum unam voluntatem aut operationem

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;